10

Diſſertatio Juridica Inauguralis

De

JURE ME-TROCOMIÆ,

Occaſione L. un. C. non licere habitat. metrocomiæ &c.

Quam

Divina Annuente Gratia

EX DECRETO ET AUTORITATE INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ

In Hac Illustri Ernestina

PRÆSIDE

VIRO *Ampliſſimo & Conſultiſſimo*

DN. JACOBO HENR. ZOLL,

JC. & P. P.

PRO LICENTIA

SUMMOS in utroque JURE HONORES INSIGNIA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA

rite ac Solenniter capeſſendi

Publico Eruditorum Examini ſubmittit

Autor & Respondens

CAROLUS OTTO MüLLERUS,

Caſſellano-Haſſus,

Ad diem 4. Octobris Anno M DCC XV.

H. L. Q. C.

RINTELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

§. I.

IN omnibus ferme Juris noſtri capitibus ac materiis multos invenimus terminos artis, qvorum intrinſeca ſignificatio ex vocabulorum externo ſono nec intelligi nec explicari poteſt, exemplo nobis eſſe poſſunt tot actiones nomina ſua, non à materia in iis tractata, ſed ab earum Autoribus derivantes v. gr. actio L. Aqviliæ, Juliæ, Corneliæ, Pompejæ & infinitæ aliæ. Aliqvando & ex alia cauſa ſanctiones Romani Juris cognomem aliqvod adeptæ ſunt, E. gr. Senatus Conſultum Macedonianum occaſione peſſimi Fœneratoris Macedonis, qvi filiis familias ſub ſpe ingentis lucri in eorum detrimentum & perniciem ſæpius mutuam pecuniam dederat, ita appellatum fuit. *Duarenus ad tit.* Occaſio inſcriptionis.

 Cod.

Cod. ad SCt. Maced. c. 1. Simili aliqvatenus modo ſe habet Diſſertationis noſtræ argumentum, qvod ex ſolis verbis inſcriptionem abſolventibus difficulter dignoſci poteſt, denotat enim inſcriptio illa *de Jure Metrocomiæ* præferentiam qvandam, in eadem diœceſi habitantibus competentem in bonis ejusdem diœceſeos ad extraneos ſeu alterius diœceſeos habitatores translatis. Qvod privilegium prælationis ea occaſione *Jus Metrocomiæ* appellavimus, qvia olim hujusmodi jus & privilegium principaliter habitatoribus metrocomiarum conceſſum fuit, *per L. un. Cod. Non licere habitatoribus metrocomiæ loca ſua ad extraneum transferre.*

§. II.

Etymologia vocabuli metrocomiæ.

Anteqvam vero ad ulteriorem thematis hujus tractationem progredimur, unde vocabulum metrocomiæ deſcendat prius noſſe oportet *arg. l.* 1. *pr. ff. de Juſt. & Jure.* Eſt itaqve vocabulum hoc origine Græcum, ex vocabulis μέτρον, qvod latinis *menſura* eſt, & κώμη, qvod *vicum* denotat, compoſitum, ita ut intuitu hujus compoſitionis villam ſeu vicum, cui certa agrorum menſura cohæret, ſeu breviter *villam menſam* ſignificet. *Joh. Calvin. Lex. Jur. voc. metrocomiæ, ubi hanc derivationem firmis argumentis improbari, & aliunde etymum deduci non poſſe affirmat.* Appellantur vero non omnes vici metrocomiæ, ſed tantum illi, qvi præ cæteris vicis præeminentiam qvandam habuêre, mediamqve inter urbes & vicos tenuêre dignitatem, qvales apud nos ſunt die Flecken und Kirchdörffer/

qva-

qvapropter â qvibusdam non μετροκωμία ſed μητροκωμία ſcribitur *vid. Nic. Gurtler. Lexicon* 4. *Ling. voce metrocomia.* ita ut compoſitio ſit ex vocabulo μήτηρ qvod matrem indigitat & κώμη. Hinc eſt qvod dicunt, metrocomiam eſſe inter vicos, qvod metropolis inter urbes, hoc eſt metropolis denotat matrem ſeu caput Provinciæ & urbium, metrocomia vero matrem & caput vicorum *Gothofred. & Cujac. in not. Brunnemann. Perez. in l. un. Cod. non licere habit. &c. Joh. Calvin. alleg. loc.*

§. III.

Præparatio ad Materiam.

Sicuti ergo metrocomiæ aliis vicis longè præſtantiores fuêre, ita qvoqve earum inhabitatores non omnibus ruſticanis oneribus fuerunt ſubjecti, ſed qvodammodo ad civium Jura adſpirârunt, cujus exemplum refert *Gothofred. in notis lit. e. ad l. un. C. non licere &c. ubi dicit; Sicuti urbes à capitatione immunes fuerunt, ita & metrocomiæ non reliqvi vici. l. pen. Cod. de Exact. Tribut. l. 1. C. ne ruſtic. ad ullum obſeq.* & procul dubio plura hujusmodi privilegia metrocomiæ habuerunt, de qvibus vero latius agere, neqve neceſſitas expoſcit, cum exinde parva imo nulla ad nos redundet utilitas, neqve poſſibilitas permittit, cum ſufficiens ad noſtram ætatem ea de re non pervenerit notitia. Hinc talia relinqvimus & pedetentim ad ea, qvæ inſtituti ratio reqvirit, transgredimur, cujus fundamentum in *lib. 11. Cod. tit. 55.* habetur, cujus inſcriptio hæc eſt: NON LICERE HABITATORIBUS METROCOMIÆ LOCA SUA AD EXTRANEUM

TRANS-

Digitized by Google

TRANSFERRE: Continet hic titulus & inſcriptio unicam legem cujus verba ita ſe habent: *In illis, qvæ metrocomiæ communi vocabulo nuncupantur, hoc ad jiciendum neceſſario putavit noſtra humanitas, ut nulli extraneo illis qvoqvo modo licentia poſſidendi tribuatur: ſed ſi qvis ex iisdem vicariis loca ſui Juris alienare voluerit, non licere ei, niſi ad habitatorem ejusdem metrocomiæ, per qvalemcunqve contractum terrarum ſuarum dominium poſſesſionemqve transferre: ſciente perſona extranea qvod ſi contra vetitum ſe huic negotio immiſcere vel illic poſſidere tentaverit. Qvicunqve contractus initus fuerit, carebit effectu, & contractu ſoluto, ſi qvid præſtitum eſt, hoc tantum reddetur.* Ex his, uti ſupra §.1. jam indigitavimus, ſatis perſpicimus, metrocomiarum inhabitatores, non habere licentiam loca ſua i. e. villas & agros in metrocomia ſitos in alterius metrocomiæ incolas transferre ſeu alienare, ſed ejusmodi contractum alienationis diſſolvi, ac omni carere effectu, inſimul cæteros incolas habere jus revocandi illam alienationem ita ut reſtituto pretio ipſis liberum ſit, illa bona alienata ſibi acqvirere. *Sic enim docent omnes interpretes ad h. L. un. Cod. non lic. habitat. &c.*

§. IV.

Affinitatem jus retractus cum Jure Metrocomiæ habet.

Apparet itaqve ex præcedentibus hanc bonorum ex Metrocomia alienatorum revocationem, magnam cum jure retractus habere affinitatem, qvapropter & commentatores Digeſtorum hanc materiam ſub titulo de emtione & venditione, ubi

Digitized by Google

ubi de jure retractus agunt, communiter tractant, jus enim retractus potiſſimum conſiſtit in privilegio aliqvo ex ſingulari cauſa qvibusdam perſonis conceſſo, qvo certa bona ab alio alienata repoſcere, & ut ſibi vendantur petere poſſunt, & ſicut eadem fere Jus Metrocomiæ complectitur, ita analogiam hujus cum jure retractus impugnari haud poſſe arbitramur.

§. V.

Interim tamen an hoc Jus Metrocomiæ revera ſit ſpecies juris retractus, de eo non immerito dubitamus, magisqve contra communem calculum in ſententiam negativam inclinamus. Etenim ſatis notorium eſt, nec hac de re diſſentientem ſcimus, retractum præſupponere validitatem præcedentis contractus & licitam alienationem. *Reinking. de retract. qvæſt.* 1. *num.* 17. *Ubi ex hac ratione refutat eos, qvi rationem juris retractus exemplo Iſraëlitarum, qvibus alienatio bonorum ex una tribu in aliam legibus interdicta erat, comprobare & corroborare ſatagunt* Jam vero ubi alienationum revocationes ex Jure Metrocomiæ oriuntur, nullus validus præceſſit contractus, ſiqvidem talis contractus, qvo ex metrocomia in extraneum qvid transfertur, in ſe vitioſus & nullus eſt, qvod probatur, partim ex ipſis verbis textus noſtri *in l. un. Cod. non licere habit. metroc. &c.* ibi enim verba hæc: *non licere habitatoribus metrocomiæ loca ſua ad extraneum transferre:* clauſulam prohibitivam involvunt, qvod vero legibus prohibitum eſt, utiqve juris effe-

Non tamen eſt ſpecies juris retractus.

effectu deſtituitur, & nullum eſt, qvod & ipſa lex ſeqventi modo latius explicat: *Sciente perſona extranea, qvod ſi contra hoc vetitum ſe huic negotio immiſcere, vel illic poſſidere tentaverit, qvicunqve contractus initus fuerit, carebit effectu.*

§. VI.

An Lex un. in Foro recepta.

Verum hic qvæſtio non minimi ponderis & præjudicialis oritur, utrum prohibitio hujus l. un. in obſervantia fori & praxi Germaniæ tuto allegari poſſit, & vim probandi habeat? Sat enim notum eſt, autoritatem trium poſteriorum librorum à plurimis in dubium vocari, eo qvod pauca in iis continentur, qvæ ad ſtatum Germaniæ hodiernum applicabilia ſunt; accedit, qvod in praxi ea magis ſeqvi teneamur qvæ rationibus nituntur, contra naturalem vero rationem eſſe videtur, dominos rerum ſuarum legibus civilibus ità conſtringere ut ipſis pro lubitu emtorem eligere non liceat, ad minimum ſtatus politicus liberrima commerciorum exercitia coarctari non permittit, cum exinde maximum qvandoqve detrimentum ſentire poſſit, deniqve & ipſa lex civilis *in l. 14. Cod. de contrah. emt. & vend.* unicuiqve pro ſuo arbitratu emtorem ſibi qværere & probare conceſſit, contrariasqve leges annullavit.

§. VII.

Dn. Stryck. affirmativam defendit cui aſſentimur.

Celeberrimus qvondam JCtus Sam. Stryckius hac de re ſeqventi modo ratiocinatur: *Sed an noſtris*, inqvit, *temporibus dicta lex unica applicari poſſit, dubium eſt, qvia hodie in Germania vix dantur me-*

Digitized by Google

metrocomiæ, & inſuper de obſervatia trium poſteriorum librorum Codicis ſæpe dubitatur. Puto tamen illos libros eatenus tantum in deſuetudinem abiiſſe, quatenus illorum leges, quæ ob aliam faciem Reipublicæ ſunt latæ, hodierno Imperii Statui accommodari neqveant, qvatenus verò eadem, quæ olim, pro lege ejusmodi hodie militat ratio, cur non & ipſa lex, ſi non qvoad verba ſaltem commoda interpretatione ad caſus hodie emergentes aptari poſſet ac deberet? Tr. de Succeſſ. ab inteſt. diſſert. 6. cap. 1. num. 11. Atqve huic ſententiæ noſtrum ſubjicimus calculum, qvia nemo facile inficias ibit, Juris Romani magnam eſſe autoritatem in iis, qvæ ad ſtatum noſtrum applicabilia ſunt, & ratione non deſtituuntur; cardo itaqve rei in eo vertitur, utrum thema noſtrum ex *L. un.* deſumtum, ita ſit comparatum, ut ſtatus noſtrorum temporum id admittat, ac rationem aliquam pro fundamento habeat? qvod iterum affirmandum cenſemus.

§. VIII.

Siqvidem nî omnes, ad minimum plures Germaniæ urbes oppida & pagi ita à ſe invicem ſunt diſtincti & diviſi, ut ſingulis certa qvædam diœceſis qvaſi ipſis propria ſit conceſſa, qvæ certis limitibus circum ſepta vel certo aliqvando agrorum numero concluditur, & à Germanis vocari ſolet, eine gewiſſe oder gemeſſene Feldmarck. Hoc reſpectu civitates & vici, qvibus tales diœceſes connexæ ſunt, qvamvis nomen *Metrocomiæ* apud nos uſita- Rationes.

uſitatum non ſit, Romanorum Metrocomiis nihilominus comparari poſſunt, ac revera maximam cum his conformitatem habent. Cum verò progredimur, inqvirentes in rationem, ex qva inhabitatoribus Metrocomiæ, (*qvos textus in l. un.* vicarios, *vel potius* vicaneos, *prout vult Cujacius commentar. in h.l. un. & Gothofredus in notis lit. K. appellat.*) bona ſua in extraneos alienare prohibitum ſit, eandem apud nos invenimus, qvæ Romanos ad hujusmodi prohibitionem commovit, nimirum ut loca ſeu bona ad metrocomiam ſpectantia in ea conſerventur, & à nemine niſi convicano poſſideantur, qvod procul dubio propter præſtationes, aliaqve onera publica, qvæ reſpectu qvantitatis agrorum metrocomiæ cohærentium imponuntur, ità cautum eſt, ne hujusmodi alienationes onerum publicorum præſtationem difficilem reddant.

§. IX.

Ulterior deductio rationum.

Habent autem publicarum pecuniarum receptatores & exactores certam ordinationem, ſecundum qvam eam ſummam, qvæ à Principe exigitur, in ſuas claſſes diſtribuunt, & pro rata cujuscunqve civitatis vel pagi vel majorem vel minorem qvantitatem à ſingulis expoſcunt, hæ ordinationes ab initio ſecundum proportionem agrorum eorumqve bonitatem factæ ſunt, unde alienationes agrorum de unius pagi ruſtico in alium cum iſta æqvalitate reſpectu bonorum alienatorum facta ſubſiſtere non poſſunt, ſed illi ex qvorum vico aliqvid alie-

Digitized by Google

alienatum eſt, plus oneris hoc modo ferunt, qvo deniqve & imprimis ſi ſæpius contingat, facile evenire poteſt, ut hi alienantes facultatibus labantur, atqve ſic Princeps de ſibi præſtandis periclitetur, ad minimum ex hujusmodi alterationibus maxime & tales aliqvando confuſiones in aliis cauſis oriri poſſunt, ad qvas ante eventum excogitandas hominum ſagacitas non ſufficit.

§. X.

Refutatio rationum dubitandi.

His ita præmiſſis, ad contrarias rationes §. 6. relatas facile reſpondebimus, qvanqvam enim & naturalis & politica ratio rerum commercia potius extendi qvam reſtringi ſuadeat, & dominis rerum ſuarum liberam alienationem relinqvat, hæc tamen tanqvam generalis ad ſpecialem caſum, ubi alia particularis ratio ſubeſt, qvæ contrarium poſtulat, applicari haud poteſt. Simili modo ſe habet argumentum *ex l. 14. Cod. de contrab. Emt.* deſumtum, hæc enim proprie de Jure Retractus ex capite vicinitatis & conſangvinitatis agit, qvem legibus ſuperioribus caſſatis prohibuit & unicuique pro ſuo arbitratu emtorem ſibi qværere & probare permiſit; Et ſane non inepta hæc lex eſt, qvæ ſi in noſtris foris obtineret, multæ lites & inanes diſputationes eliminarentur, tota enim de retractu materia ſemper aliqvid iniqvi comprehendit, nec æqvitas ejus ſatis probatur per rationes, qvas vulgò adducere ſolent. In retractu enim conſangvinitatis principaliter urgetur conſervatio ſplen-

 doris

doris familiæ, & qvod natura arctiori vinculo conſtrinxerit hos, qvi ſangvinis jure junguntur, qvam extraneos, ideoqve & in horum bonis, qvæ etiam ſucceſſione ad eos pervenire poſſunt, præcipui qvid, viventibus cognatis præ extraneis tribuit, ne videlicet paternis laribus vel ſepulchris avitis ad ſui conſolationem careant. *Prout ex Vultej. conſil. Marpurg. 29. num. 33. & ſeqq. vol. 2. tradit ac defendit Reinking. de retract. qvæſt. 1. num. 16.*

§. XI.

Retractus gentilitius improbatus.

Verum hæ rationes nobis tanti momenti non videntur, ut exinde legitimus inter venditorem ac emtorem bona fide celebratus contractus deſtrui poſſit, qvod ſi enim retractus non reſtituto pretio concederetur, dici poſſet, per eam familiarum ſplendorem conſervari, verùm cùm retrahens pretium emtori refundere tenetur, *Struv. Exercit. 23. th. 63. ibiqve alleg.* nihil exinde lucratur, qvo familiæ ſplendor eo melius conſervari poſſit, & ſæpe numero contrarium ac triſtem eventum hujusmodi retractus ſortitur, cum retrahentes interdum cœco amore erga bona avita ducti, ea qvidem retrahant, conditio vero eorum illis bonis non ſufficiat, qvo deinde fit, ut loco ſperati emolumenti damna ac detrimenta ſentiant. Altera verò ratio, qvod conſangvinei in bonis à conſangvineo poſſeſſis potius jus habeant, qvam extranei, jure non probatur, cum hoc modo etiam ad bona immobilia jus retractus extendi, & in aliis etiam contractibus

præ-

Digitized by Google

præter emtionem & venditionem locum habere deberet.

§. XII.

Similiter & retractus ex capite vicinitatis.

Nec, ut verum fateamur, majorem in aliis retractuum ſpeciebus invenimus rationem, ſiqvidem, qvod retractum vicinitatis attinet, excogitare non poſſumus, in qvo nexus obligationis conſiſtat, ut vicinus vicino bona ſua vendere obſtrictus ſit, hoc qvidem negari non poteſt, qvod multum qvandoqve alicujus interſit, hunc vel illum non habere vicinum, nimirum in caſu, ubi qvis ædes ſuas in opificem, cujus opificium magno ſtrepitu ac tumultu perficitur, alienare vult, ac earum ædium vicinus ſtudia exerceat, qvæ ejusmodi ſtrepitum ſufferre non poſſunt, verum, uti antea dictum, non cernimus, qvomodo vicini intereſſe vicinum obliget, & deinde, ſi ex hac ratione hic retractus fluit, in prædiis ruſticis atqve agris, qvos non inhabitamus, hæc ratio ceſſat; & qvid diceremus, ſi in caſu antea dicto ſe obliget emtor, qvod nunqvam ædibus ipſe uti nec in iis artificium ſuum exercere velit; ſane eo caſu, cum ratio ceſſet & ipſa diſpoſitio ceſſare deberet. Sed hæc obiter occaſione *l. 14. Cod. de contrab. Emt.* retuliſſe ſufficiant, cum alioqvin ſpeciali diſqviſitione hæc res indigeret.

§. XIII.

An in foro ſecundum Legem un. pronuncietur.

Revertimur itaqve ad materiam, & qvemadmodum §. 8. latius demonſtravimus conſtitutionem *legis*

Digitized by Google

legis un. in foro allegari poſſe, ac apud nos qvoqve legis autoritatem habere, ità jam ulterius progredimur, nimirum, utrum etiam in foris ſecundum legem unicam pronuncietur, & præjudicia adſint? In Gallia certum eſſe gen⁹ hominum, qvi *les hommes de Mainmorte* vocantur, teſtatur *Bartholomæ⁹ à Chasſenæo in commentar. ad conſuetudines Burgundicas rubr.* 9. §. 10. hasqve homines manus mortuæ dictos, metrocomiæ incolis Romanorum æqviparat, & ſicut his propter *legem un. Cod. non licere habit. &c.* ita & illis ob Burgundiæ conſuetudines *rubr.* 9. § 10. alienatio bonorum ſuorum in extraneos prohibita eſt, qvam prohibitionem ita refert: *L'homme de mainmorte peut vendre & aliener ſon heritage aſſis en lieu de mainmorte aux gens de la ſeigneurie & condition dont il eſt. Et ne les peut vendre à homme de franche condition, ne d'autre Seigneurie, ſi ce n'eſt du conſentement du Seigneur de la mainmorte & n'entend-on point prejudicier a ceux qvi ont les lieux particulier pas cours ou uſage du contraire:* atqve in Commentario ad hunc §. de viridi obſervantia hujus juris in Gallia profitetur, idqve inſuper ex *L. un. C. non lic. hab.* ſeqventibus verbis, qvæ huc recenſere nobis placet, comprobat: *Metrocomi, id eſt, illi, qvi ſunt poſiti in qvadam villa menſurata, prohibentur transferre eorum poſſeſſiones, qvocunqve alienationis titulo in alios, qvam in homines illius loci menſurati. Et in hoc homines manus mortuæ aſſimilantur hominibus metrocomis. Qvi proprie ſunt, qvi de uno loco mittuntur ad alium locum menſuratum,*

Digitized by Google

ratum, aſſignando eis locum ſeu villam à qva non audeant recedere, prout faciebant Romani, qvando ſubjugabant aliqvam terram eis inimicam, potiores & meliores homines illius loci ſeu terræ ablatis ſibi bonis ſuis, transmittebant ad alium locum qvem ſibi aſſignabant.

§. XIV.

In Germania qvidem non adeo freqventia extant præjudicia, interim tamen qvædam novimus, nimirum in cauſa der Vorſtehere Heymberger und ſämptlicher Einwohner der Dorffſchafft Lendorff/ Ampts Homburg appellanten/contra Johannes Jäger zu Uttershauſen und deſſen aſſiſtententen Decanos und Capitulares des Stiffts zu Fritzlar appellatos. In qva ſummum appellationis Judicium Haſſiacum a. 1691. ſeqventem in modũ pronunciavit: Nachdem die Güte zwiſchen dieſen Partheyen zwar verſuchet worden/ aber nichts verfangen wollen/ und man dann ab dem vorgelegten und von denen Stannariſchen Erben mit des intervenienten Stiffts Fritzlar vorwiſſen dem appellato Jägern ertheilten Kauffbrieff erſehen/ daß dieſelbe die Wieſen Qvæſt. vor Erb-und Eigenthümlich verkaufft/ das Stifft Fritzlar auch dem Jäger als ein Landſiedel-Gut verliehen hat; die Gemeinde Lendorff aber denſelben als einen frembden in ihrer Feldmarck oder Metrocomia nicht einnehmen oder leiden wollen/ ſondern ſie zum Näher-Recht zu verſtatten gebethen/ der von dem Rentmeiſter zu Borcken Abraham Kuhn, auf

Præjudicium Haſſiæ.

auf ertheilte Commiſſion gemachte und producirte Abriß auch nothdürfftig gezeiget/ daß der Lendorffer Feldmarck von der Uttershauſer Feldmarck unterſchieden ſeye/ als werden die appellirende Lendorffer zum Näher-Recht zu der Wieſen Quæſt. verſtattet/ und der appellatus Jäger hiermit angewieſen/ ihnen ſolche Wieſe gegen Empfahung des Kauffgelds abzutreten/ wie dann dieſelbe dem Stifft den darauf hafftenden Canonem Jährlich ohne Auffenthalt zu zahlen/ und aus ihrer Gemeinde einen Seniorem dem Stifft Fritzlar zu ſtellen ſchuldig ſeyn ſollen/ und wird der Beſcheid à qvo dahin reformiret: Will daß der Jäger ſeine Wohnung in das Dorff Lendorff verſetzen/ worzu ihme 4 Wochen Bedenckzeit verſtattet werden/oder auch erweiſen/daß mehrbemeldte Wieſe nicht in der Lendorffer Feldmarck gelegen ſeye/ wird ihme ſolches vorbehalten / und ſoll alsdenn darauf in der Sachen ferner ergehen was Rechtens. Ita & ampliſſimam Facultatem Juridicam Rintelenſem in cauſa pagi cujusdam contra nobilem quendam ante aliqvot annos reſpondiſſe, Nob.Dn.Præſes meminit, temporis vero penuria illud evolvere & huc referre non permiſit.

§. XV.

Jus Metrocomiæ competit inhabitatoribus metrocomiæ.

Poſtqvam generalia de Jure Metrocomiæ abſolvimus, jam ad ſpecialia nos accingimus & qvidem primo loco occurrit, qvibus perſonis hoc jus competat. in ſæpe allegata *l. un.* non qvidem in ſpecie referuntur perſonæ, qvæ hoc jure uti poſſunt, attamen ex contextu ſatis apparet, illis concedi hoc privi-

Digitized by Google

privilegium, qvi cum eo, qvi alienavit bona ſua, in eadem metrocomia degit, hoc enim ſatis probant verba: *Sed ſi qvis ex iisdem vicariis loca ſui juris alienare voluerit, non licere ei, niſi ad habitatorem adſcriptum ejusdem metrocomiæ.* Ibi enim cautum eſt, qvod alienationes bonorum in metrocomia ſitorum, non aliter valeant, niſi is, in qvem alienatio fit, ejusdem metrocomiæ ſit inhabitator, ex qvo prono qvaſi alveo fluit, qvod in caſu, ubi ad extraneum qvid alienatur, metrocomi hanc alienationem intervertere & ſe præferri peti poſſint.

§. XVI.

Deinde & ſtatuimus hoc privilegium metrocomis conceſſum & ipſi alienanti competere, & hoc qvidem ex ipſa lege probamus, ubi contractus, qvem metrocomus cum extraneo de bonis in metrocomia ſitis iniit, nullus declaratur & prohibitus eſt, & qvemadmodum prohibitio alienationis per legem vel ſtatuta dominii translationem impedit, ita alienans jure dominii, cum hoc in emtorem non translatum ſit, intendere poteſt revocationem bonorum alienatorum, nec obſtat, qvod in textu *L. un.* dicatur, qvod *ſoluto contractu* id qvod præſtitum eſt, reddi debeat, unde forſan argumentari poteſt, contractum reſpectu contrahentium non eſſe nullum, qvia id, qvod nullum eſt, ſolutione non indiget. Siqvidem hæc verba: *ſoluto contracto* referri debent ad illum caſum, ubi ex tali contractu poſſeſſionem bonorum extraneos jam

Et ipſi alienanti.

adeptus eſt, qvæ poſſeſſio revocatur ſeu ſolvitur; ita hæc verba explicat Gloſſa, & qvamvis Chaſſenæus *d. l.* putet, contractum in ſe non eſſe nullum, nihilominus hoc limitat ita, ut eatenus alienatio tantum teneat, donec ſit perſona revocare volens, non autem ipſum alienantem à revocatione excludit.

§. XVII.

An Clericis.

An Clericos autem in metrocomia habitantes conſtringat prohibitio generalis de bonis extra metrocomiam non alienandis, latius tractat *Perez. in h. l. un. num. 2.* Qvi alterius metrocomiæ clericis utpote exteris terras & poſſeſſiones ſuas neqve vendi neqve alio titulo in eos transferri poſſe exiſtimat, ex hac ratione, qvod Clerici ſint cives Reipublicæ, & qva tales ſubjiciantur æqvis ſtatutis laicorum, nec hujusmodi ſtatutum eorum privilegiis adverſetur, cum magis ex re eorum & fiſci ſit, qvia ſi ea bona exteris vendere liceret, fraus poſſet fieri fiſco circa capitationem, qvam ſolvunt ruſtici & metœci.

§. XVIII.

Si extraneus fit metrocomus revocatio ceſſat.

Qvod ſi vero contingat, emtorem extraneum domicilium ſuum mutare & in metrocomiam transferre, non admittuntur convicanei ad revocationem alienatorum, etiamſi tempore alienationis nondum concivis fuerit, nam ſupervenienteхac habi-

habilitate convicaneorum jus agendi contra emtorem expirat; qvamvis alias in contractibus tempus qvo contrahimus inſpiciamus *l. 78. ff. de verb. oblig. Broncborſt. in l. 18. ff. de reg. jur.*

§. XIX.

Non vero in omnibus bonis, ſed tantum immobilibus & qvidem iis, qvæ ad metrocomiam ſpectant, hoc jus radicatum eſt, hoc enim ipſe textus ſatis perſpicue demonſtrat, unde ſi convicanus extra metrocomiam bona qvædam poſſideat, eaqve alienet, convicani ejus illam alienationem irritam facere & jus prælationis petere non poſſunt; In mobilibus à convicaneo alienatis convicaneis plane nullum jus eſt, niſi forſan ſtatuta vel privilegia ſingularia adſint, qvæ alio modo diſponunt, qvo referri poteſt jus Emporii, qvod in eo conſiſtit, ut venditoribus frumentorum aliarumve rerum mobilium merces ſuas non promiſcuè omnibus emtoribus ſed civibus & mercatoribus illius civitatis, qvæ hoc jure gaudet, vendere liceat. *Qvod latius examinat Dn. Stryck. Uſu modern. tit. de contrah. Emt. §. 5. & fundamentum qvoddam in l un. Cod. non licere habitat. metrocom. &c. habere exiſtimat, qvamvis hanc legem ſolùm de bonis immobilibus diſponere confiteatur.* Ad ſimilitudinem hujus juris emporii diverſorum locorum laniones ſæpè appetunt, aliarum Provinciarum laniones ab emtione animalium removere, exiſti- In qvibus bonis locum habeat.

 mantes

mantes ſibi potius jus eſſe in animalia qvam extraneis, verum ubi de expreſſo hoc privilegio ipſis non eſt proſpectum, illud ſibi arrogare non poſſunt, niſi forſan hoc fiat jure repreſſalium.

§. XX.

In qvibus contractibus locum habeat.

Majus autem hic oritur dubium, qvando qværimus, in qvibus contractibus diſpoſitioni legis unicæ locus ſit? Communis Doctorum ſchola, qvæ hanc materiam ſub titulo de emtione & venditione tractat, atqve inter ſpecies juris retractus refert, eo collimat, qvod in aliis contractibus extra emtionem & venditionem non obtineat, *Cujac. commentar. ad L. un. Struv. Exerc. 23. th. 53.* & ratio hujus afferti in promtu eſt, qvia jus retractus in genere tantum in emtione procedit, proinde & ejus ſpecies. Verùm jam ſupra §. 5. oſtendimus hoc privilegium ex *l. un.* deſcendens ſingulare eſſe ac inter ſpecies juris retractus referri non poſſe, qvare ea, qvæ in retractu juris ſunt, ad metrocomiæ jus ita ſimpliciter applicari non poſſunt, nos itaqve verba ſeqvimur ipſius textus: *Non licere per qvalemcunqve contractum terrarum ſuarum dominium poſſeſſionemqve transferre:* & hinc concludimus, non ſolum in emtione & venditione, ſed aliis qvoqve contractibus, qvibus dominium rei in alium transfertur, locum ſibi vindicare, e. gr. in permutatione. E contrario verò, qvando nullus adeſt contractus, ſed per teſtamentum aliamve ultimam

vo-

Digitized by Google

voluntatem alienatio ſit, metrocomi jure reluitionis non fruuntur, ita tamen res tranſigenda, ne hi ex iſta alienatione onus aliqvod percipiant, aliàs enim publicum per hujusmodi alienationes læderetur.

§. XXI.

Deniqve ex eadem hypotheſi fluit, in revocatione ex Jure Metrocomiæ non reqviri, ut præciſum illud temp⁹ retractui præfixum ſcilicet annus & dies *Tiraqvell.* §.1.*gl.*10.*num.*3. *& ſeqq.* *Gail.*2. *obſerv.* 19. *Reinking. quæſt.*7.§.1. *Struv. Exerc.*23. *th.*64. obſervetur, hoc enim ſpecialiter in retractu ſic obtinet, & argumentum à retractu ad Jus Metrocomiæ non admittimus, propter rationis differentiam, qvam ſupra §. 5. oſtendimus, præterea qvoqve in *lege un.* non invenimus, certum ac determinatum tempus huic juri præfixum, qvapropter ubi lex non loqvitur, nec nos loqvi oportet. Nos hac vice vela contrahimus, & in nomine Domini diſcurſum noſtrum de Jure Metrocomiæ claudimus, ſit ei laus & gloria in ſecula ſeculorum!

An obſervetur tempus retractui præfixum?

CO-

COROLLARIA.

I.

NOn ſatis probatur ex *Num. C.* 30. conſenſum paternum ad nuptias liberorum de jure divino neceſſario reqviri.

II.

In feudo filiofam. conceſſo pater non habet uſumfructum.

III.

Venditor, cui remiſſa eſt evictio, re evicta, ad reſtitutionem pretii non tenetur, niſi in dolo ſit.

IV.

Rationes, qvæ ad probandam æqvitatem Scti Vellej. adducuntur, nobis non videntur ſufficere.

V.

Communis qvidem & indubitata DD. eſt ſententia, juramentum voluntarium prætextu perjurii jure Romano retractari non poſſe *per L.* 31. *ff. de jurej.* & *l.* 1. *C. de*

rebus

Digitized by Google

reb. cred. verùm hanc ſententiam non omni dubio carere, probamus ex collatione *L. 21. ff. de dolo mal.* cum *L. ult. Cod. de reb. cred.*

VI.

De jure communi non dantur ſponſalia clandeſtina, adeoqve diſtinctio illa ſponſaliorum in publica & privata fundamento caret.

VII.

Pactum, qvo debitor promittit, ſe nolle rem vel fundum creditori ſub pacto antichretico traditum, intra certum tempus luere, nullo jure improbatur, niſi uſuraria pravitas exinde probetur.

VIII.

Lex 15. §. ult. ff. de uſufruct. ubi cavetur proprietatis dominum, ne qvidem conſentiente fructuario, ſervitutem imponere poſſe fundo fructuario, omnium abſurdiſſima eſt, nec in foris germaniæ unqvam ſecundum eam pronunciatum fuiſſe oſtendi poteſt.

Digitized by Google

IX.

Male à qvibusdam Judiciis rejiciuntur interrogatoria in proceſſu ſummariisſimo.

X.

Frumentum, qvod ex alterius ſpicis excutitur non fit ejus, qvi illud excusſit, ſed dominium remanet apud dominum ſpicarum. contra §. 25. *J. de R. D.*

XI.

Transactio ob læſionem ultra dimidium ex *L. 2. C. de reſcind. vend.* reſcindi non poteſt.

XII.

Sponſalia à Procuratore contracta non valent, ſi mandatum revocetur anteqvam ſponſalia contracta ſint, qvamvis revocatio ad mandatarium non pervenerit *per cap. ult. de Proc. in 6to.*

IA1 152730